



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Populus regi suo obsequens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

te speras tui generis argumentum, quo literatorum oculis possis non inaniter oblectare. Feci non invidiosum, quod tibi fore gratum intellexerim. Sed quod à melle te majorum tuorum nuncupatione vocari putas, dicitur, rim ego te id nominis à morum potius tuorum suavitate compassisse: sive id summa humanitas meretur tua, sive affabilitas jucundissima, cuius lepore omnes ad te tribus tibi, devinctis, ut de te vere dici possit, favon mellis in ore tuo sedem posuisse: sive perelegans ille scribendi tenor tuus, ubi solutam orationem aut carmen facis, amoenissima quadam dulcedine legentem afficiunt, evenit ut undecumq; merum mel & sis, & habeatur. At plenus rimarum sum neq; me cobibere possum, quin epigramma illud ex his nostris sodalibus olim dictatum erumpat. Quid enim prohibet apud ingenium Poetica studiosissimum, aliquando Poetam agere?

Romulei certant lepido certamine vates,
Nominis ecqua viget congrua causa tui.
Nam qui ex te norunt manare poetica mella:
Melli num à merito nomen id esse volunt.
Atque alii malunt correpta parte Melinum
Dicere, Pegaseum quod melos ore canis.
Sis quodcunq; velis, nullo discrimine amandus,
Seu mihi Mellinus, sive Melinus eris:
Omnia congruerint: tanta dulcedine carmen
Pangis, & oranti spargis ab ore melos.

Id quod eo tibi gloriosius accidit, quod horum infelicitas temporum pauca admodum nunc ostendunt ingens, qua bonarum artium amore eruditionis felicitate capiuntur: eorum alieniores plerique, à doctrina studio vadunt, quo sunt magis natalium splendore aliquo illustrati. Tu vero, cum ex ea sis domo ortus, in qua summi plerique viri gentiles, tui & veteri & recenti etiam memoria ad patriæ ornamentum geniti, insignia, quæ à se gestarum monumenta reliquerunt, Cardinalia decora, primos in urbe honores, titulosq; sortita, ma pro salute patriæ vitricia, divitiis honestissimis artibus comparatas, nihil rerum harum ambitiosius contentus, à tepso splendorem excitare quaesivisti: ut clarissima ea familia dignus evaderes, patre q; in primis tuo Senatore semper optimo, apud quem tanta educatus es sanctitate. Accessere mox bona artes, & egregia disciplina, Latineq; & Græca literæ, quas eo conatus successuq; affectus es, ut paucissimi sive erant sint inter Romanam hanc nobilitatem, qui parem tecum gradum hodie conferre possint. Sed quoniam non de literis tantum, sed de totius vitæ integritate, atq; animi magnitudine, si quis de te loqui cuperit, sermo faciendus esset, parentumq; tuorum benignitas omnis explicanda, qui me omnibus humanitatis studiis profecuti, quam in filios exercere par est, benevolentiam, charitatem, & studium in me omne præstituerunt, in commodius tempore dilatis, quod nunc agendum instat, Apem ipsam, quam tibi merito deberi iudicamus, exhibendam curavimus. Ecce vero tibi eam, in cuius comitatu, ne Fucus etiam, belluo ille satius impudicus, & molestissimi Culex & Vespa sese intruderent, repellere nunquam potui, ac ne ullus & molestus & importunitati finis esset, Musca etiam, Cicada & Araneus se his admiscuere. Tu quidem strenue nimirum & ex prædicatione tua feceris, si, ne ab eorum aliquo ledare, caveris. Verum age, quid Apes sibi velint videamus.

POPULUS REGI SUO OBSEQUENS. CAP. I

Apis sola ex animalibus regem habet. Plin. lib. 11. c. 5.

Populum Egyptii sacerdotes obsequentissimum Regi suo significare vellent, Apem faciebant, illam utiq; brevem, variam, & in rotunditatem compactilem, quæ sola ex animalibus Regem, more hominum, habet, quem universum Apum agmen consecratur, æque atq; homines Regi obtemperantes. Rex vero vel aculeo caret, vel ad offensionem minime exerit, quæ quidem præcipua est in Rege vitæ, qui in obeundis vitæ officiis, non magis iustitiæ aculeum, quam dulcem mellis clementiam ostentare debeat. Ac de populo quidem agnoscit hoc idem Plotinus libro De suo cuiusq; genio, qui civilem hominem, popularibus utiq; studiis deditum, sed qui perfectam virtutem consequi minime poterit, eundem iterum hominem fieri contendit, & ad eadem munera rediturum.

REX. CAP. II

Regis Apum, simul & hominum simpatia.

Merito itaq; Regem, qui populos unanimi benevolentia sibi devinxerit, ostendere qui vellent, examen Apum proponere consueverunt; siquidem is foras non procedit, nisi migraturo exar-